

No. 93. 1334. 24. Nov.

B. Gebhard zu Merseburg eignet mit Zustimmung seines Capitels dem Thomaskloster eine Hufe Landes in Starsiedel.

In nomine domini amen. Nos Gebhardus dei gratia episcopus ecclesiae Mersburgensis universorum tam praesentium quam futurorum industriae volumus fore notum, quod honorabiles viri domini .. praepositus totusque ecclesiae sancti Thomae apostoli in Lipzk canonicorum regularium conventus rite et rationabiliter ac iusto emptionis titulo suis denariis unum mansum situm in campis villae dictae Starszedel^{a)}) solventem annui census duas marcas a Johanne dicto Wolfeshayn cive nostro Mersburgensi, quem a nobis et ecclesia nostra in pleudo tenuit, cum quibuscunque suis pertinentiis sicut dictus Johannes Wolfeshayn habuit comparaverunt. Et cum dicti mansi proprietas ad nos et eandem ecclesiam nostram pertineret, dictus Johannes ipsam ad manus nostras sponte et libere cum consensu heredum suorum et .. conthoralis suae legitimae resignavit renuncians pro se et heredibus suis omni actioni seu inpetitioni iuris vel facti, quae sibi in dicto manso competebant seu competere possent in futurum, pecuniamque inde sibi cedentem numeraliter et plenarie ei persolutam recognovit, humiliter una cum praedicto .. praeposito ecclesiae sancti Thomae praefati nobis supplicans, ut dei intuitu proprietatem eiusmodi mansi ecclesiae sancti Thomae praefati donaremus. Unde nos ipsum mansum liberum per ipsius resignationem in manu nostra tenentes proprietatem eius ob dei et beati Thomae apostoli ibidem patroni reverentiam ecclesiae suae ac conventui praedictis in Lipzk communicatis nobis ad hoc consensu ac voluntate honorabilium virorum dominorum Gunzelini praepositi, Engelberti decani totiusque nostrae Mersburgensis ecclesiae capituli donavimus ac incorporavimus et appropriavimus, donamus incorporamus et appropriamus in dei nomine per praesentes de dominio nostro in eorum dominium liberaliter transfundentes, nihil iuris penitus nobis aut successoribus nostris seu dictae ecclesiae nostrae capitulo inantea reservantes. In quorum testimonium sigillum nostrum appendi fecimus huic scripto. Et nos Gunzelinus dei gratia praepositus, Engelbertus decanus et totum capitulum saepedictae ecclesiae Mersburgensis in signum expressi nostri consensus omnium praemissorum nostrum sigillum praesenti literae decrevimus appendendum. Actum et datum Mersburg anno domini M^o.CCC^o.XXX^oIIII in vigilia beatae Katherinae virginis. Testes huius sunt (fehlen).

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Merseburg mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

a) Starsiedel bei Lützen.